Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2043
Quelle:
Copyright:

Epiſcopum atque doctiſſimum, qui ex Dacia Romanis merito admirandus advenerat, compellat. Adi editionem *Pariſ. Operum* 1685. 4. Alter *Gennadius* eſt ejusdem Sec. V. Scriptor, qui L. *de Viris illuſtr.* eum *Romacianae* (in Dacia mediterranea) *Civitatis Epiſcopum* et autorem *ſex Libellorum Inſtructionis* et Baptiſmum pro Competentibus facit, quorum etiam indicat argumenta. Hos Libellos hodie non extare, pronuntiatur in *Bibl. Fabric. med. Lat.* edit. *Manſ.* L. XIII. p. 99. n. (d). ego vero Λειψανα ſaltem e Codice noſtro proferam. Fol. 3. *Niceta in Libro Primo ad Competentes: Inſtructiones igitur neceſſarias ad fidem currentibus opus eſt explorare, quas & ruſticæ animæ poſſint aduertere pariter & tenere, non ex proprio ingenio compoſitas, ſed ex diuinarum ſcripturarum prædicatione collectas, quibus edocentur ad baptiſmum electi, ut, quid dimiſerint, ſciant, & quid deſiderant, magis intellegant, & quid accepturi ſunt, uel quid obſeruare debeant, certius recognoſcant; quia magnum eſt, quod deſiderant, grande eſt, quod inchoant, ſiue deus inſpirauit, ſiue homo commouit et ſuaſit.* Fol. 4. ibid. *Caticuminus quaſi hoſpis & uicinus fidelium deforis audiens myſteria, nec intellegens, audiens gratiam, nec aduertens, ex hoc uero* (Baptiſmo) *fidelis incipit appellari.* Fol. 5. p. 2. ibid. *Non enim ante ad confeſſionem uenitur, niſi prius fuerit diabolo renuntiatum. Sicut nec aurilicus* (legus) *ante aurum mittit in ſacculum, niſi prius terram uel limum lauerit uniuerſum.* (Vides morem *Daciae* ab Epiſcopo domeſtico Sec. V. confirmatum, de quo plura *Sam. Koeleſerus* in *Auraria Romano—Dacica. Cibinii* 1717. 8. Operas *Paulinus* Carm. XVII. ad *Nicetam* noſtrum *Aurilegulos* vocat: *Callidos Aurilegulos in aurum vertis*, ad vitam chriſtianum videlicet eos inſtituendo, et Carm. eod. *Beſſus exultat: quod humi manuque ante quærebat, modo mente coelo colligit aurum.*) *Ideo oportet prius repudium dicere diabolicæ uanitati, & amara eius ſtudia abrenuntiando projicere; Abrenuntiare autem oportet non nudo ſermone, neque ſolis labiis, ſed fide fortiſſima et indubitata ſcientia; id eſt, ut chriſto ſe homo tota animi uirtute committat, confidens, quia chriſti factus deſinat timere diabolum. Deinde abrenuntiat & operibus eius malignis, id eſt, culturis & idolis, ſortibus & auguriis, pompis & theatris, furtis & fraudibus, homicidiis & fornicationibus, ſuperbię & iactantiae, irae & auaritiae, comeſſationibus & ebrioſitatibus, choris atque mendaciis, & his ſimilibus malis. Quid dicimus de his, qui ſuperfluo carnis ornatu iactare ſe uolunt, et uideri mirabiles. Taceo de exquiſitis inutiliter ueſtimentorum ſubtilitatibus. Oro uos, quid faciunt in uiris capilli aquo* (acu?) *criſpati, comę retro quidem ceruicem cooperientes, ante autem frontem penitus abſcondentes ita, ut nec ſigno chriſti* (cruci) *locus liber relin-*